



PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

E Civitate Vaticana, die 5 Martii 1971

Prot. N. 2503/71
(In responsione fiat mentio huius numeri)

Amplissime Domine,

Specialis Coetus Consultorum "De Lege Ecclesiae Fundamentalium" in sessionibus studii quas anno 1970 habuit opus recognitionis complevit prioris schematis Legis Ecclesiae Fundamentalis, iuxta animadversiones et propositiones quae a Cardinalibus Membris nostrae Commissionis postulatae fuerant. Prae oculis quoque habitae sunt in hoc labore recognitionis perficiendo sententiae prolatae a Consultoribus S.C. pro Doctrina Fidei atque a Membris Commissionis Theologicae Internationalis.

In praesenti, de mandato Summi Pontificis, schema hoc Legis Ecclesiae Fundamentalis (nempe textus prior ac textus emendatus, una cum duabus relationibus explicativis) submissum est studio omnium Ecclesiae Episcoporum, ita ut ipsi proprias sententias quoad naturam, structuram et contentum huius Legis Fundamentalis nostrae Commissioni ante diem 1 septembbris c.a. ostendere valeant.

Quapropter opportunum quoque censeo Tibi, Consultori huius Commissionis, ipsum schema pro informatione transmittere. Quod si in labore elaborationis aut emendationis schematis partem directam non habuisti, et quamdam propositionem faciendam habes ad schema huius Legis Ecclesiae Fundamentalis ulterius perpoliendum, Te etiam rogo ut mihi tuam sententiam tradas ante statutum diem 1 septembbris.

Valde confitus fore ut nostrum in bonum universae Ecclesiae opus accurate perficiatur, omni quo par est obsequio Tibi permaneo

addictissimus

Petrus Card. Jellinger